



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 1. Diuersa Dei & hominum, homines in conuiuijs tractando, ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

corporis necessaria , spem in Deo , quām in
agris & fundis collocare : nulla enim gran-
do, nulla vredo , nulla tempestatum injuria
potest obesse, spem suam diuinitatis ancho-
rā fulcienti. Quod confirmauit Dominus,
cum Apostolis dixit: *Quando misi vos sine sac-*
culo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Luc. 22.
35.
nempe hoc est , quod olim dixit : *Oculi mei*
ad fideles terrae, qui etsi baculo aut gladio ca-
rent, tamen ab Angelo meo defenduntur . ;
si peram non ferunt secum , è nubibus pa-
nem illis mitto, & mensam instruo, ambro-
siā cœlesti conditam .

C A P V T . VIII.

*Cur amicos suos parcet ac frugaliter, ini-
micos autem laute permittat vi-
uere Deus?*

§. I.

*Diversa Dei & hominum , homines in conui-
nijs tractandi , ratio.*

N principum aulis primæ admis-
sionis amici ac satrapæ , ceteris
conquisitiūs solent tractari ; & ,
quo quisque est nobilior, eò lau-
tiori mensæ adhibetur ; est enim cibi pre-
mium honor conuiuantis. Quamobrem &
L 5 Iose-

Vt
di-
ost
uit,
bet
itis
ce-
que
niū
ab
eo
c
xi-
inc
an-

ta-
que
lla-
uræ
esse
ra-
bit,
oter
or-

Ioseph , cum epulum fratribus suis daret,
Geb. 43. sederunt coram eo, primogenitus juxta primo-
33. genita sua, & minimus juxta atatem suam. Et
 mirabantur nimis, sumptis partibus , quas ab
 eo acceperant : MAIOR q; pars venit Benia-
 min, ita ut quinq; partibus excederet. Tracta-
 ret vtique hac ratione etiam Deus sibi ami-
 ciores, si diuinæ sapientiæ judicio melius es-
 set, melius conuiuari. Aliter censet. Non e-

Esa. 55. 8. nim cogitationes meæ , cogitationes vestre : neq;
 viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut
 exaltantur cœli à terra , sic exaltatae sunt viæ
 meæ , à vijs vestris , & cogitationes meæ , à co-
 gitationibus vestris. Vobis placet ebrietas ,
 mihi displicet. Sobrietas placet mihi, dispi-
 ciet vobis. Apud vos, in honore est conuiuū,
 apud me jejunium. Vobis grata est abun-
 dantia, mihi abstinentia; quam etiam seculi
 sapientes diuinijs præposuerunt. Certe Dio-
 genes à Platone petierat vini paululum, tūc
 & caricas. Plato misit lagenam. Cui Cyni-
 cus, hunc in modum, gratias egit : *Cum in-
 terrogārim, qnot sint duo, & duo? reſpondes vi-
 ginti.* Noluit nimirum , pro quatuor , aut
 accipere, aut dari viginti. Quare & amicis
 suis plerumq; dat Deus, quod sufficiat, non
 quod superfluat: ipsi abundare non cupien-

tes illud usurpat: Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, periurem nomen Dei mei. Porro victui non multa sunt necessaria. Pauca sufficientia paucis contento. Itaque, quos non deserit diuinum Numen, modico alit, si videt non appetere multa, etiam tunc, cum miraculosè alit.

Prou. 30:
8.

§. II.

S. Cuthberto ac socijs alendis Deus, per aquilam, piscem mittit.

Venerabilis Beda, qui Martyrum Ecclesiæ Angelicæ pro Christo cæforum historiam texuit, S. Cuthberti Episcopi Lanparniensis facta & verba hæc refert: *Disce, filiole, Dei fidem semper & spem habere in Domino, quia nunquam fame perit, qui Deo fideliter seruit. Et sursum aspectans, vidensq; aquilam in altum volantem: Cernis, inquit, aquilam illam porro volitantem? Etiam per huius ministerium, possibile est Domino Deo nostro, nos hodie reficer. Talia confabulantes, agebant iter, juxta fluum suendam. Et ecce subito vident aquilam in ripa residentem, dixitq; vir Dei: Viden' ubi nostra, quoniam prædixi, ministra residet? Cur-*

Beda in
vita S.
Cuth-
berti.

re.